Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

[Materialien zur Rechtsgeschichte der Stadt Bremen] [CIM I 102]

[Bremen], [17. Jahrhundert]

[Fünftes Kapitel]

urn:nbn:de:gbv:45:1-90089

Visual Library

Capüt V.

De forma Gübernationis in Civitate Brema.

Ex güo Brema Civitatem fuisse vo„ lumus, necesse est, certam habüerit güber„ nationis formam, ac sanè multüm refert, nosse Speciem Reipüblicæ, güam güis cü„ randam süscepit. Ineptüm enim füerit in Regno leges Aristocraticas vel Democrati„ cas observare, vel contra non minüs, güam si güis magno Colosso Pigmæi, vel pümitioni Capüt ingentis Polyphemi aptare vellet; aliter cümpüs, güi servitüte assüeti sünt, et aliter cüm libero popülo agendüm. Cüm itag civitates regi pütentür, vel üniüs imperio, vel paücorüm, vel plüriüm, üt exinde vel Monarchia, vel Aristocratia, vel Democratia efficiatür. Et rürsüs si Rempüblicam degenerare contingat, degene„

ret propter affinitatem, aut in Tyrannidem, aut oligarchiam, aut in populi licentiam, operæ pretium fuerit inquirere, Quo loco administratio Bremæ nostræ sit habenda.

Carolus Magnus /: inquit Crantzius :/ cum ecclesiam Bremensem fundaret, terminos ejus distinxit, et limites assignavit in literis, ut esset ecclesiasticæ ditionis, quicquid illis finibus includeretur, non tamen voluit, nec debuit suo quenquam jure despoliare. Erant in his locis viri potentes, qui subjectos agros cum plebe tenerent. Tales in districtu Bremensi dominatus ante Carolum fuere, et post eum permansere in Christianismo. Quidni? Ponebantur enim tunc Episcopi: Inquit Historicus :/ quomodo Apostoli ad Predicandum et Baptizandum, non ut hodie ad Excommunicandum.

Quod munus cum pro virili obiret Willehadus primus Bremensium antistes, intelligis politicum gubernationis munus aliis incubuisse; quibusnam queris? quibus, nisi illis viris potentibus, qui subjectos agros cum plebe tenebant, adversus quorum libidinem Willehadus, et post eum Adaldagus civibus libertatem impetrasse # supra demonstravimus ex chronico nostro, eandemq Adaldagum vindicasse scribit M. Adamus, eum nimirum, ut primum ingressus est Episcopatum, Bremam longo prius tempore potestatibus, ac judiciaria manu compressam, praecepto Regis absolvi, ac instar reliquarum civitatum, urbiumq immunitate simulq libertate donare fecisse.

Legendum Wilhadus enim civibus libertatem impetrasse.

Potestatis illas et manum judiciariam accipimus de viris potentibus illis, quorum jam meminimus, quos in his partibus ut

invenit, ita reliquit Carolus; exstatq
Potestatis vestigium in domo, Balle
zorum, quæ in antiquis literis Domus
Potestatis inscribitur.

Potestates illus seu judiciarias personas
paulo post Senatus, et quod perinde est,
proconsulum et Consulum appellationibus
designari consuevisse, argumento est, quod
mentionem apertam Henricus -5- facit
Proconsulum et consulum Civitatis Bre-
mensis in Privilegio, quo eis Anno millesimo,
Centesimo et undecimo jus fluminis Wisera
concedit.

Et præsto sunt literæ à Monachis, quos
nigros appellamus, anno Millesimo, Ducen-
tesimo, Sexagesimo primo signatæ, quibus
legitur, duodecim Civitatis consules: consti-
tit autem universus seu plenus Senatus,

ut paulo post audiemus personis triginta sex:/ ipsis locum aliquem in platea porcorum con„ cessisse „

Caterum illi jure suo in plebem usq adeo abusi sunt, ut ab eorum insolentia Civita„ tem liberare, una cum Episcopis Willehado et Adaldago ipsi Cæsares laborarint, nec tamen, ut liberatio perpetua esset, effecerint, donec potentiores illi per tumultum diri„ merentur „

Pars consularium, inquit Historicus: divitiis insolescens dabant audaciam juvenum, ut impune quidlibet peragerent, homicidia, adulteria stupra, tumultuationes: Admi„ nistrationem Reipublicæ inter se potentes, familiæ partiebantur, omissis à consilio bonis viris, quos libidini suæ adversaturos videbant „

In templo Ansgariano per portam meridiona„

lem ad lævam ingredienti monumentum
exstat insolentiæ illius. Forte anno
millesimo, trecentesimo, septimo lucium
raræ magnitudinis, Arnoldus de Brox-
ling vir consularis, quomodo cum Histo-
ricus nominat, emerat; At ex insolentio-
ribus unus eum cedi sibi postulat, renuit
Gropelingus, convivium Genethliacum
eo die celebraturus: alter minas spirare, et
in ejus mortem conjurare: nec multo post,
cum Gropelingus diceretur pro ratione
illius temporis extremo accepto viatico
animam agere, factiosus iste ex foro pro-
currit, et cum suis armati in domum ac
cubiculum irruunt, famulus vim parari
hero videns, præcurrit, et cum alio modo
herum tueri non posset super illum leviter
inclinans, objectu sui corporis eum servare
voluit; At furibundi isti, uno ictu et fa-
mulum et herum in lecto confodiunt. Hic

concurrunt cives cum melioribus ex Senatu statuuntq se divino nixos præsidio in urbe non laturos oligarchas illos facinorosos, qui cum fuga sibi consuluissent, boni tabulam proponunt, qua totam illam factionem, cum liberis cognatis, et affinibus, et amicis in æternum proscribunt, ita purgata Civitate (: inquit Historicus :) insolentissimis hominibus magno numero proscripti sunt omnes.

Illi invocato primum Duce Luneburgensi magnam substantiæ, suæ partem impenderunt, ut reducerentur in urbem. Cum autem Dux aliquot vicibus productis armis nihil perfecisset, illi ad terræ militares conversi, pro auxilio illos implorabant, ibi quoqq multarum rerum impendia frustra perdiderunt: Cum frustrata ubiq essent, et exules una cum potrinis suis militaribus exinaniti, et æravium quoq Civitatis alterna molestatione

exhaustum, res transacta est et sopita.

Ex quibus abunde elucescit, si gubernatæ Civitatis Bremæ ratio ad unam illarum Reipubcicæ formarum revocari debeat, vi„ guisse olim Bremæ, nec principatum unius, neq populare imperium, sed paucorum po„ tentiam. Ut quid de sequentibus tem„ poribus judicandum, quibus oligarchæ urbe pulsi sunt? Non est instituti nostri in disputationem descendere, utrum tres tantum sint Reipublicæ formæ simplices, an vero plures ex Monarchia, Aristocra„ tia, et Democratia compositæ, earumq confusione, permixtæ. Nobis illud satis est, quod Bodini ipsius sen„ tentiâ, qui simplices formas contra cæteros defendit, Aristocratia non raro populariter temperata esse solet.

Id nunc, an non verum est de Brema nostra

eaq

-eaq temperie quadam à populo ad libertatem
cautionemq ipsius munita; An statu Aristo„
cratico non prorsus despoliata sit videamus:
Exstant tabulæ de loco, qui inter portam Ste„
phani et laterum est, anno Millesimo, tre„
centesimo, trigesimo quinto, a consulibus tri„
ginta sex signatis, et suo diplomate profite„
tur Bonifacius Anno Millesimo, trecentesi„
mo nonagesimo primo Bremæ ex antiqua Con„
suetudine triginta tres consules et tres pro„
consules ex quatuor Parochiis assumi, quo„
rum consulum undecim, et Proconsulum unius
: quod liquido comprobat numerum illum duo„
decim consulum, quem ponunt Monachi Anno
Millesimo Ducentesimo, Sexagesimo primo:
quolibet anno civitati præsint, ut eam regant,
eosq. quo tempore assumuntur, jurare solitos fu„
isse, quoties in locum decedentium quis alius
eligi debeat, tum neminem alium, quam qui
in illa Parochia, in qua vixit prior, electum
iri, se autem rogatu senatus permotum, ne

personæ ad Gubernationem idoneæ deficiant, aut desolatio status regentium incidat, senatum Religione illa juris jurandi absolvere, ut imposterum nulla Parochiæ, sed virtutis ac prudentiæ habita ratione electio fiat et electi civitati præsint, eamq liberè et licitè gubernent. Ex quo efficitur, rerum summam, quam pontifex liberam gubernationem dixit, ut ante paucioribus permissam, non autem ad universos traductam fuisse.

Quando vero hinc apparet eundem fuisse in Civitate regentium numerum, tam post, quam ante electionem oligarcharum, addatq Bonifacius disserte, longa consuetudine receptum esse, ut Civitatis gubernaculum quis teneat, et quidem, quamdiu personæ essent superstites: Credibile est quod Crantzius [a] scribit, Oligarchas civitatis gubernationem alternasse, et ex more per singulos annos renovasse. Civitatis

[a] lib. 9. Cap. 5.

consilium de tali alternatione intelligendum esse, quale etiam hodie in usu, qua pleraq gu„ bernationis partes et onera quædam alternantur, paulo post autem ad eosdem redeunt. Qua res consideratione dignissima, quæ apud con„ ditores juris tanto in pretio est, ut quando verba principum, quibus privilegia civitati conceduntur, ambigua sunt, dubitaturq an Regalia concessa videantur tum concessio„ nem de Regalibus interpretari soleamus, si ma„ gistratus cui concessio facta est, perpetuus, non autem sit annuus.[b] Cujus enim dignitatis vel autoritatis sit imperium, quod ad breve tempus tribuitur? quis facile pareat eis, quos vitæ socios habuimus, et qui postea pri„ vati sunt futuri? quis exactè populi commoda tuentur, eumq à servitute vindicet. Si pau„ lo post exacto magistratu patcat omnium injuriis

Etsi vero Anno Millesimo, quadringen„

b. c. pastoralis in pr: nu. 2. circ. fin: vers. et quod licet x. de app. Roland. a vall: consil. 86. nu: 26. lib. 1. Ludolf. Schrad. consil. 58. quod in secunda parte est consilium Joann. Borcholt.

tesimo vigesimo Sexto Senatus Bremensis de mala administrata pecunia suspectus, et ob id, ut Capite 15. prodixius referemus, seditio coorta fuit tamen tumultus interventu Comitum ab Hoya Johannis et Ottonis /: qui se tutorem Archiepiscopatus nominavit :/ vicinarumq Civitatum et Capitulorum Anno Millesimo, quadringentesimo trigesimo tertio finem accepit, et numerus, qui nunc manet, quatuor Consulum et viginti quatuor senatorum introductus. Senatus quoq autoritas stabilita, Volmechtiger Rhadt, et statuta, quibus hactenus usi sumus, promulgata sunt, quae a statu populari non parum abesse nemo non intelligit.

Clarius autem id exprimit nova quam appellamus, illa concordia, quam Anno Millesimo, quingentesimo trigesimo quarto, Centum quatuor virorum tumultus, interventu Bremensis Archiepiscopi, Monasteriensis et Osnaburg

sis Episcoporum, Ernesti Ducis Lunebur-
gensis, Comitum ab Hoya et Orientalis Fri-
siæ, Capituli Bremensis, et quorundam Diæ-
ceseos nobilium, Civitatum deniq Hambur-
gensis, ‡ Luneburgensis, Stadensis et Buxte-
hudensis peperit, quâ, ut ipsa verba subindi-
cant, vetus forma Reipublicæ repetitur,
ac stabiliter, in quam deniq, qui ad jus civi-
tatis assumuntur, aut proprio id non am-
plius parentium jure pro ætate usurpaturi
sunt, in hunc ipsum diem conceptis verbis
jurant. Sanxit hac concordia, quemad-
modum antiquitus fuerit, ita imposterum
salvam stabilem, ac firmam esse oportere Se-
natus authoritatem /: Ein Volmechtiger
rath sein und bleiben :/ nec licere civibus
tractionem eorum, quæ ad Gubernationem,
Reipublicæ pertinent, attingere, aut injussu
Senatus Congregationem ullam, vel unius
Parochiæ instituerit, nec mercatoribus aut

‡ Brunsuicensis

opificibus si conveniant quicquam aliud, quam quod ad mercimonia, et opificia eorum pertineat in deliberationem vocare: in arbitrio autem senatus fore, gravioribus deliberationibus ingruentibus, optimos quosq civium, quos ex omnibus ordinibus civium delegerit /: die sorten :/ in consilium advocare, jura deniq civitatis municipalia adhibitis Jctis reformare. Quod de opificibus formula repetit id ut cætera omnia, non sine gravi consilio factum, multis enim rerum argumentis edocti sumus, eorum molitiones sæpenumero plurimum Reipublicæ nocuisse. Et scribit Historicus [a] etiam de artisanis, qui manu victum quæritant, eos sub annum Millesimum ducentesimum Sexagesimum primum, cum antea publico civitatis consilio per omnia paruissent, multum fecisse negotii regentibus, et extorquere conatos fuisse, ut illis permitteretur, suis in emendandis erroribus et excessibus.

[a] Metropol. lib. 8. cap. 24

citra sanguinem tamen puniendis frui judi„
cis, ita tamen, ut magistri per singulos annos
renovati, juramenta praestarent viris Consu„
laribus, Rempublicam gubernantibus, nun„
quam se adversaturos: Sed turpis pars est
singuit Historicus: quae non congruit
toti corpori „

Quae formula illa novae Concordiae non Com„
prehendit, usus ipsa rerum antiquissimus
magister docet „

Bella Civitas nunquam suscepit, nisi a
Senatu indicta, quamlibet ad ea interdum
per tumultus coacto, ut suo loco dicemus.
Statuta quaedam ad injuriarium vindicationes,
et rerum expeditoriarum petitiones perti„
nentia Senatus Anno Millesimo quingente„
simo Nonagesimo secundo emendavit, plura
quoq Speramus jam jam emendabit. Quotannis
Dominica laetare media quadragesima è Curia
suggestu forum Prospectante populo prelegitur,

præscribiturq, quid pro præsentis temporis ratione toto anno Civibus observandum: Jus vitæ et necis Senatus semper habuit: Magistratus creat, honoresq et officia distribuit, ararium Curat; et quamvis non ex suo tantum, sed et mercatorum opificumq Collegiis, quos vult, ærario, granario Armamentario, xenodochiis, nosocomiis, et quæ id genus sunt alia, præficiat, rationes tamen acceptorum et expensorum accipit.

De Religione et sacris convenit inter senatum et cives Anno Millesimo quingentesimo Sexagesimo Secundo, ea non nisi civium consensu et voluntate innovari oportere.

De Mercatoribus dubitari possit, quid in Collegium ipsorum Senatus juris habeat, quo et ipsi Seniores suos eligunt,

et quod nomine tonnarum ad securitatem na-
vigantium in Wisera Collocatarum, anti-
quissima more penditur colligunt, earumq
curam perpetuam gerunt, et suos conventus
in Andrio forum prospectante /: Dem Schutting :/
habent: Sed et hic constat quoq ex nomine, et
præscripto Senatus omnia agi oportere. Etenim
Anno Millesimo quadringetesimo vigesimo Sexto,
convenit inter Senatum et Mercatores, ut
seniores ipsorum de quinq ~~mureis~~ Marcis, quas singulæ
naves mercesq valerent, tonnarum illarum no-
mine obulum /: einen Schwaren :/ exigere, et
quotannis bis Ædilibus Senatus /: quos
maurherren, appellamus, rationes Expenso-
rum et acceptorum reddere debeant.

Nunc ad rem. Quis non deprehendat
popularis status temperationem? quis etiam
non multo magis Aristocraticum statum?
Populare imperium est, quod ad omnes Magistra-

tus et officia omnibus aditus patet, nullam habentibus censu aut Nobilitate prærogativam, nisi sordes, et anteactæ vitæ infamia, aut natales, rerumq gerendarum extrema imperitia vetet. Populare etiam est, quod negotia graviora ad statum Civitatis pertinentia, non facile suscipiantur nisi potiori Civium parte /: quam sorten appellari diximus :/ in Consilium advocata. Quæ certe omnia merito nobis sacrosancta sunt, cum ad Civitatis tranquillitatem, ac incolumitatemq, libertatemq civium tutandam spectent. At Aristocraticum est, quod minor pars Civium Cocteris ~~ipsat~~ imperat, quod illa non annuo sed perpetuo magistratu fungitur, quod jubendi legis et magistratuum creandorum, Civium Congregationes, rationes munerum, et officiorum, ærarii publici, vitæ deniq et necis jus habet. Unde Carolus quintus

Imperator, dum Anno Millesimo quingentesimo quadragesimo primo 15. Junii non Civibus, sed magistratui liberam administrationem Civitatis, ejusq praefecturarum, confirmat, diserte scribit, Cum ultra centum aliquot amos jurisdictionem, omniaq quae ad gubernationem pertinent, libere administrasse. Ergo ad nos quoq pertinet, quod communi prudentum consensu Respublica eo majorem merentur laudem, quo in retinenda suae gubernationis forma fuerunt constantiores, firmiores et antiquiores. Eaq res ad nobilitatis antiquitatem pertinere creditur. Nam et Lacedaemonii laudantur ob id, quod Septingentis annis sine aliqua Reipublicae mutatione vixerunt; ejus laudis et gloriae usura fruuntur etiam veneti nostris temporibus, quod eundem Reipublicae statum mille amos constanter retineant.[a]

a Laurent. Grimab. de op: prim: Senat. lib: 3. pag: 33.